UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis. Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è Societate Jesu

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

Saulum ex equo deturbaturus descendit. 97

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

Visual Library

Oratione quacunque potuerat,
Sui cauſa proſtrato
Honoris gratia Chriſtus aſſurgit.
Tantæ virtuti ſuam quodammodo ſedē cedens;
Omnes Martyres venerantur in primo,
indulget illi
Non Angeli ſolum faciem, ſed & ſortem.
Cui Vita labor fuerat, mors ſomnus eſt,
Credas non attigiſſe lapides mentem.
Quæ vel ſub ipſis obdormivit in Domino.

Quare ſtantem, & non ſedentem viderit Chriſtum.

Videbant faciem ejus tanquam faciem Angeli.

Quare dicatur in Domino obdormiſſe, & non mortuus eſſe.

ELOGIUM XCVII.

SAULUM EX EQUO DETURBATURUS DESCENDIT.

Act. Apoſt cap. 9.

Gigantem paritura torquetur Eccleſia,
Et quaſi nova Rachel,
Dum Benoni ſuum animat, exanimatur.
Quidni demum ſe Abortivum agnoſceret
Qui ſe publica natum meminiſſet in via?
Qualem hominem Paulum credam,
Quem tanti fecerit Deus,
Quanti totum propemodum humanum genus?
Illius unius gratia
Exhibitum univerſis iteravit obſequium;
Exivit rurſus à Patre,
Et Graſſator beneficus inſidiatus Viatori
Speciosa illum nequitia ſpoliavit.
A Protomartyre diu rogandus haud fuit,
Ut in hanc vellet expeditionem aſſurgere;
Eo vix audito protinus ſtetit,
Quaſi qui feſtinaret ad opus;
Non dilaturus ne per momentum quidem
Hoc cœlo Gaudium,
Niſi triumphus debitus Stephano.
Eum quodammodo per dies aliquos
Retraxiſſet à Saulo.
Legis Idololatra.
Quam non, quia Dei.

Ita fere Chryſol. de Converſione Pauli.

Paulus in ſuis epiſtolis quare ſe Abortivum vocaret.

Deſcendit enim & propter illum in terras.

Speciosa nequitia, quia plauſibile erat apud Iudæos, Chriſtum perſequi.

Quare Chriſtus orationem Stephani pro Saulo non illico exaudierit.

Abundantius æmulator paternarum traditionum.

Sed

Sed magis quia Patrum erat, amaret;
Acceptis litteris tumidus,
Conceptis ſuppliciis truculentus,
Erebo, quam Damaſco jam propior,
Serenitatem omnem
Nube lucida involutus amiſit.
Ferre Equus non ſufficit hominem
Vel ipſi jam gravem Deo.
Alliſus in terram concipit deſiderium Cœli,
Et per Tirocinium tenebrarum
Initiatus ad lumina,
Cœcus ad cætera omnia, Deum videt.
Dejectum non ſodales ſolum,
Sed & lux ipſa deſtituit.
Fortunata tamen dejectio,
Quæ cœcatum erronem deducit in Vicum,
Qui & vocatur Rectus, & eſt
Jam tum Chriſto configuratus
Reſurgit & ipſe poſt triduum,
Et de rebus jam non ut ante judicans,
Mutatos ſibi intelligit oculos,
Non ademptos.
Squammas non exuit, niſi redactus ad anguſtias
Serpens,
Et Vas electionis,
Niſi luſtralibus prius undis ablutum,
Suaviſſimi nominis aromataria non impletur.
Ut philoſophiæ noſtræ prima Theoremata
Eſſe de patientia ſcias,
Quid ante omnia doceatur attende.
Prima Doctori gentium collata cognitio, continet;
Non quanta agere illum oporteat,
Non quanta pati.

Nubes lucida circumfulſit illum.

Erat per triduum non videns.

Dixit Dominus ad Ananiam, quære Saulum nomine Tarſenſem in vico, qui dicitur Rectus.
Se Chriſto configuratum ſæpe Paulus profitetur.

Ceciderunt ab ejus oculis tanquam Squamæ, &c.

Vas electionis eſt mihi ut portet nomen meum, ideo juſſit ablui per Baptiſmum.
Oſtendam illi, quãta oporteat illum pro nomine meo pati.

ELOGIUM XCVIII.
VENIENTIS AD JUDICIUM APPARATUS.

Matth. 24. Luc. 23.